

P V I S



1 6 0 3

Precatio

AD CHRISTVM
PRO REMISSIONE
PECCATORVM,

Scripta in gratiam & hono-
rem Clarissimi Viri, Iuris vtriusq; Doctoris
Marci Zimmerman, inclyti Principatus
Anhaltini Consiliarij, & amplissimi Sen-
natus Augustani Syndici, &c.

Domini sui perpetuo
colendi,

ab

Adamo Lamperto
ciue Seruestensi.

L I P S I Æ

Iohannes Rhamba excudebat

M. D. LXXM

*Ornatissimo ac
Clarissimo Viro
d. Iacobo à Gen-
consul. Serueste-
no, Adfimi suo
charissimo
dcti autor*

t.



AD LECTOREM

TETRASTICHON.

*Cum nulla admittunt tristes solatia mentes
Iratum fugiunt mæstaq; corda Deum,
Vnde petenda salus sit, nostra Thalia docebit,
Scribentis calamum, tu, pie Christe, regas.*

*Opusculum
Classis
J. J. Jacobi
Consilii
no. 1
Charissimo
d. d. 1771*

Adamo Lampertio
d. d. 1771

LIPSIÆ

Johannes Rhenanus excudebat
M. D. C. LXXI.



ORNATISSIMO
VIRO D. DOCTORI
MARCO ZIMMERMAN

Augustano, Domino ac Patrono suo
obseruandissimo salutem D.

Adamus Lampertus
Seruestensis.



Erueſam hodie rerum om-
nium faciem eſſe, & in magno
nos omnes pariter verſari pericu-
lo, in conſeſſo eſt, Calamitates
etiam & ærumnas humanas, qua-
les, opinor, antea nunquam fue-
runt, plures ſubinde exoriri, res
loquitur ipſa, & mala multo pe-
iora nobis indies extimeſcenda eſſe, hoc præſertim in-
quieto tempore, nemo non intelligit, Crescentibus
enim delictis noſtris, etiam pœnæ merito exaſperan-
tur, & quod negari non poteſt, enormia delicta gra-
uia quoq; ſequuntur ſupplicia. Quis non deploret
tam ærumnoſum generis humani ſtatum? O ſæcula,
ô nos miſeros & perditos homines, qui tot ærumnis
ſubiecti, tot periculis expoſiti ſumus, Quid enim ma-
lorum non habet hæc vita? Ego etſi ſcio DEVM cura
generis humani adfici, & huius vitæ mala, quæ homi-
num ge-

num generi propter peccata diuinitus immittuntur,
quæq; nos probè commeruisse nemo sanæ mentis infir-
cias ibit, fortiter ferenda esse, non possum tamen non
dolere, quotiescunq; miseram corrupti huius sæculi
conditionem mecum expendo. Nam mihi talia exa-
minanti bone Deus quàm multa ueniunt in mentem,
quæ animum meum sic perturbant, (dico ingenuè
quod res est, quid enim dissimulem id, quod sentio?)
vt in acerbissimis curis tantarum miseriarum, quibus
sine fine modoq; ullo premimur, vix remedium inue-
niam. Idem cæteris quoq; euenire existimo, In cuius
mali enumeratione possem prolixior esse, si huius in-
stituti esset, Sed ineptè facerem, si ijs referendis plus
æquo immorarer, Quis enim pessimi huius temporis
miseriam, eiusq; innumeros difficultates & asperita-
tes, quibus Deus scelera mundi punit, enarrare, de-
plorare aut satis pro dignitate exaggerare potest?
Longè superat horum malorum magnitudo vires me-
as, ultra quas nihil tentandum Phaëtonis casus mo-
net. Meo igitur me pede metiri, & intra mea pome-
ria me continere malo, memor Horatiani præcepti:
materiam scribendi viribus imparem non suscipien-
dam esse, Noui enim quàm sit mihi curta supellex,
Si quis tamen in ista arena sudare, & singula incom-
moda turbulentæ huius tempestatis, (in qua non sine
magno publico malo inuersa & peruersa omnia appa-
rent,) summam saltem perstringere uellet, quam
longus esset futurus Catalogus. Nec tamen omnino
noua est hæc querela, Quæsti sunt hoc ipsum ante me
aliij multi, qui idem deplorantes sæpe eandem cantile-
nam cecinerunt. Non mirum sanè esset multorum
piorum animos quotidianis confluctantes ærumnis pe-
nitus

nitus consumi dolore & cruciatu quem adfert exulceratissimi huius temporis recordatio. Quid multis moror? nemo tam ferreus, tam sine sensu ullo est, ut arbitror, qui praesentes calamitates attentius & paulò altius secum considerans, non toto pectore perhorrescat, cuius lugubris iste & longè tristissimus generis humani status multam vim lachrimarum non exprimat, Prorsus humana mente carere iudicandi sunt, qui tot difficultatibus, publicis cladibus, periculis, molestiis, curis & angustiis nihil afficiuntur, Et licet multi reperiantur, qui securi hæc mala negligere, extenuare & superbissime deridere conantur, magna tamen pars hominum cum tantis aduersitatibus acerrimè luctatur, & quia uider se ingentibus ærumnis obnoxiam esse, non solum pene exanimatur, sed quod maius est, de salute etiam sua, quasi plane de se actum esset, prorsus desperaret, nisi sciret Deo curæ esse res humanas, seque diuinitus inter illa pericula tegi ac seruari. Hæc sola consolatio animis bonorum aliquam in his perturbationibus leuationem affert, mentesque afflictas utcumque sustentat, ne iniquitate temporum animis frangantur. Sed iudicat nos Deus fortasse dignos castigatione, quo facilius resipiscamus, & vitam nostram aliter instituamus, Quod nisi fecerimus, metus est, ne Deum ad multa adhuc conuiuentem grauius offendamus, ac ideo grauiores etiam poenas luamus, Iupiter enim (ut Poëtæ referunt) tandem expergiscitur, tarditatemque supplicij, poenæ grauitate compensat. Peccata igitur nostra satis crassa agnoscamus, & de vitæ ac morum emendatione cogitemus priusquam poenæ nos opprimant, ne amisso iam grege

septa claudere incipiamus, accepto enim damno nihil proderit sero sapere Phrygibus.

Harum rerum consideratione ego adductus pio & simplici studio breuem nuper deprecatiunculam Carmine Elegiaco scripsi, & ut tempori seruirem, votis ardentissimis à Deo opt. max. efflagitavi, ut peccata nobis ignoscere, poenas imminentes auertere, & nos Ecclesiae suae ciues in praesentibus periculis clementer respicere uelit propter Filium suum pro delictis nostris mortuum, Nec dubito suspiria & vota nostra à Deo exaudita esse, Haec si me non fallit opinio, bonam me operam nauasse puto, & pauculas horas hac in re, mea quidem sententia, non male collocasse videor, triumphoq; hanc ob causam serio, neq; id immerito, Quid enim adeo optandum, quid obsecro magis expetendum censes, quam ut Deus placatus in gratiam nos recipiat, peccata nobis remittat, & has fatales miserias, quibus referta est humana vita, tandem arceat aut saltem mitiget. Cum etiam Bernhardo teste nihil tam efficax sit ad curanda conscientiae vulnera, quam Christi vulnerum sedula meditatio, per occasionem Passionis Christi obiter mentionem feci.

Hanc autem rudem & male formatam lucubrationunculam, quam nunc etiam senex & canus in tuam praesertim gratiam, & sub tuo nomine recens edidi, tibi ornatissime Doctor, testificandae voluntatis meae causa peculiariter dedicandam esse duxi, quod sperabam imò certò sciebam, te illud hac nostra aetate magnopere necessarium pietatis exercitium, qualecunq; est, pro candore tuo probaturum, & has vigilias meas quantumuis pusillas cupidè esse complexurum, Feci & hoc eò libentius, ut hoc leuidense chartaceum musculusculum

nusculum non sinat nostram intermori necessitudi-
nem, quam equidem pro mea virili tueri, confirmare
& quibuscunq; rationibus potero religiose conseruare
adnitar, quam diu spirauero, teq; idem facere & factu-
rum esse nihil est quod dubito. Quare boni consu-
las quod feci, & mihi veteri amico tuo, qui te propter
egregias virtutes tuas reuerenter obseruat ac plurimi
facit, candidè faueas, nec aliter atq; haftenus fecisti,
amore & beneuolentia me prosequi pergas.

Deus Pater Domini IESV CHRISTI, fons &
origo omnium bonorum, qui solo suo nutu & arbi-
trio omnia regit ac gubernat, eam nobis mentem sem-
per inspiret, vt prodesse omnibus, nocere nemini stu-
deamus, eiq; vni acceptum feramus, quicquid com-
modi, fauore ac bonitate ipsius, proximo nostro adfer-
re possumus, Cui soli honor & gloria in omne æuum.
Bene & feliciter uale Vir humanissime, & me in pa-
trocinium tuum suscipe. Domi mea

Seruestæ, quæ ciuitas mihi na-
tale solum est, Anno
salutis

M. D. LXXIII.

nulculum non sicut nostram interiore necessitudi-
nem, quam eodem pro meo vultu est, confirmare
& quibusque rationibus potero religiose considerare
adoleat, quam diu sperare, sed idem facere & factus
tam esse nihil est quod dubio. Quare boni consue-
tas quod feci, & nihil vereri amico tuo, quicquid propter
egregias virtutes tuas reverentia optaret ac plurimum
facit, candidis fauces, nec aliter atque hactenus fecisti,
amore & benevolentia me prosequi pergas.

Deus Pater Domini Iesu Christi, Ios &
origo omnium bonorum, dei solo tuo nutu & arbitrio
omnia regis ac gubernas, cum nobis mentem semper
per inspicit, ut prodesse omnibus, nocere nemini
deamus, eis qui accipiunt. ferimus, quicquid com-
modi, favore ac bonitate solus, proximo nostro adire
re possumus, Cui soli honor & gloria in omne seculum.
Bene & feliciter vale Vir humanissime, & me in pas-

trocinium tuum suscipe. Domine

Servellus, que curas misisti mihi

salve solam est, Anno

salvus

M. D. LXXIII.

P R E C A T I O
D O C E N S P R O P T E R
C H R I S T V M R E D E M P T O
R E M P E C C A T A C O N D O N A
R I H O M I N I B V S .

Crimine nemo caret, pariter peccauimus omnes
Ante Dei vultum crimine nemo caret.

Numinis hinc iustam meritamq; pauescimus iram,
Incutit & varios pœna luenda metus.

Nec medicina lui huic tantoq; adhibenda dolori
Occurrit, nisi tu cum Patre Christe Deus,

Quo sine qui uelit aut possit succurrere nemo est,

Quo sine spes nulla est, quo sine nulla salus,
Errores nisi tu delictaq; nostra remittas

Qui queat ante Deum uiuere nullus erit.

Ergo recordantes ueræ promissa salutis

Mortali generi nomine facta tuo.

Ad te confugimus uitæ reparator **I E S U**,

Commoueat pectus nostra querela tuum.

Intimâ quæ cunctis suspiria ducimus horis,

Certa tibi nostri signa doloris erunt,

Da precibus faciles aures, nobisq; faueto

Fac nostras aliquod pondus habere preces.

B

Ne

Ne pereant propter commissa piacula fontes
Christe benigne tuam sollicitamus opem,
Neue grauis subito nos obruat ira Tonantis
Sis praesto ac votis annue Christe pijs,
Christe patris sermo, Christe o Rex atq; Sacerdos
Huc ades, officij sis memor atq; tui.
Respice nos miseros qui nos qui cuncta creasti
Supplicibus precibus maxime Christe faue.
Vulnera qui solus sanasti totius orbis,
Christe fer & nobis, ne pereamus, opem.
Da veniam erratis, vitijs ignosce peractis
Iusticiaq; tua crimina nostra tege.
Exaudi gemitus sincera mente profectos
Exaudi populi vota precesq; tui.
Hanc etiam infandam ac miseram miserate ruinam
Sis lapsis famulis dexter, vt ante tuis,
Sis dexter famulis lapsis o Christe redemptor
Vnica sollicitis spesq; salusq; reis.
Tu nostro veniam supplex pro crimine posce
Est tibi mox auris semper aperta patris.
Tu potes irati Numen placare parentis,
Esse solet per te mitior ille suis.
Tu mortem superans sponte omnia dura tulisti
Omnia dura miser ne pateretur homo,

Debetur

Debetur tibi Christe decus, tibi gloria soli
Qui delicta tuo nostra cruore lauas.
Nam semel amissam vt liceat reparare salutem,
Heu mihi quanta Deus vulnere passe cadis?
Sicut ovis iam iam maectanda cohortibus astas
Multa pericla uidens nulla pericla cauens.
Horresco referens insani pene latronis
Insultus, rabiem, crimina falsa, minas,
Longum est enumerare feras quaecunq; satelles
Audet, vt exatiet pectoris inuidiam.
Acribus hic stimulis est fustibus ille molestus
Militibus pietas nulla subesse solet.
Seuitiae indulgent omnes, qui temperet iram
Nemo est, nil credas mentis inesse viris.
Aspera pars seuis cumulat conuitia dictis
Alternatq; truces ore tremente minas
Ore fremit, dentemq; ferox iam dente laceffit
Iam fauces aperit iam quatit iste caput.
Sunt qui supplicio te clamant & cruce dignum
Expertem quamuis criminis esse sciant.
Quis queat hic solus se tantae opponere turbae?
Vnus par nunquam pluribus esse potest.
Et furit & semper praecipit agit omnia vulgus
Parcere non didicit bellua mente carens

Nec mora, sanguineæ concurrunt undiq; turbæ
Ingerit hic plagas, fulminat ille minis.
Qui modo durus erat fit adhuc crudelior hostis
Acrior & multo quàm fuit ante furit.
Increpat hic crebrisq; minis pugnisq; fatigat
Tolle, necem meruit, cætera turba refert.
Ore quidem blando sed falso corde salutans,
Et capto illudens Rex ait alter aue,
Subridens alius, quis sit qui, dic ait, illud
Infligit capiti vulnus amice tuo.
Heu heu quàm placido fers omnia pectore Christe,
Heu heu quàm fellis nil pie Christe tibi est.
Quot colaphos ab quot facies tua sustinet ictus,
Excedunt omnem verbera sæua modum.
Aspice uulnificas asperrima pondera sentes
Quas, magis ut doleant tempora læsa, geris.
Quis numeret guttas, dolet ab meminisse, cruentas
Tincta quibus maduit pictaq; tota cutis.
Vix patienda Deo suffers dum talia Christe
In uultu, inq; oculis signa doloris habes.
Ab pereat tantos recolit quicumq; dolores
Tam ferus ut nequeat flere, dolere, queri.
Quis dabit vt pro re referam satis omnia soli
Quæ pater imposuit Christe ferenda tibi.

Quam

Quam graue ferre fuit tibi spineaserta, catenas,
Innumeras alapas, arma, flagella, crucem
Nexus utraq; manu iam duceris ante tribunal
Cinctus ab indomitis undiq; militibus
Cernere te uideor subeuntem robora tergo
Cetera praetereo, cuncta referre mora est.
Haec pia turba uidens matrum te Christe ferentem
Mæsta dolet: lachrymæ mæsta per ora fluunt.
Quas ita compellans his usus vocibus inquis:
Quid ploras? lachrymis fœmina parce tuis,
Non ego sed tibi sunt tua, crede, piacula dolenda,
Hæc propter cogor mortis obire vicem.

Haftenus horribilem memorare satellitis iram
Et plagas uolui Christe referre tuas.
Nunc ad te redeo Stygij vastator auerni
Christe, pati hæc fuerit quæ tibi caussa refer.
Cur tibi tot placuit mira virtute dolores
Tot probra, tot sannas, tot tolerare minas?
Impendisse animam pretiosam scilicet ultro
Gens tibi ne pereat Christe dicata, cupis,
Atq; ita cum vitæ discrimine consulis atq; huic
In cælum proprio sanguine sternis iter.

Hoc erat humanum, pietas ô quanta, salutem
Querere, & iratum conciliare patrem,
Hinc pater exaudit merito te Christe rogantem
Vanas ille tuas nec finit esse preces,
Magna tui est pietas, clementia magna parentis
Nullius exitio gaudet & interitu
Ab quoties iurans lapsi non expeto mortem,
Et qui saepe cadit saepe resurgat, ait.
O fortunatos, ô terq; quaterq; beatos
Quos uerè summus curat amatq; Deus.
Nos tamen esse Deo curæ nemo ambigat vnquam
Nam quod amet multis approbat ipse modis.
Nos Deus in manibus tanquam sua pignora gestat,
Gestat & in gremio ceu sua membra fouet,
Deniq; tantus amor, tanta est dilectio nostri
Quantum nulla satis lingua referre potest,
Optat enim saluare omnes non perdere quenquam,
Quin dolet ex multis si perit vnus homo,
Seruat ab exitio miserum nec deserit vnquam
Viuat ait potius non moriatur homo.
Nam licet omne scelus Deus excretur & illud
Puniat, hîc veniæ uult tamen esse locum,
Quod loquor occisi confirmant funera nati
Heu quantum hic superat crimina nostra fauor.

Hoc

Fœlix

Fœlix qui meruit gratum hunc gustare fauorem
Omnia qui durans secula fine caret.
Qui putat ergo Deum rigidum esse ferumq; Tyrannū
O quibus & quantis fallitur ille modis.
Absit, vt hæc vitiet nostras insania mentes,
Impietas homines non decet ista pios.
Te quoq; carnificem ac qui Christe veretur ut hostem
Errat & hoc ingens nomine crimen habet,
Cedere te nihil hac scimus pietate parenti
Te facilem nunquam non iuuat esse Deum.
Iure sed humanis quamuis irascaris ausis
Iussa q; sancta Dei nos violasse doles,
Attamen esse tua nos gentem morte redemptam
Nec frustra passum te meminisse decet,
Illorum ergo memor populi miserere tui, quem
Hæredem regni credimus esse tui.

F I N I S.

Felix qui meruit gratiam hanc gustare sanctorum
Omnia qui durans secula sine carere
Qui punit ergo Deum rigidum esse sermo Tyrannum
O quibus & quibus fallitur ille modis
Abse ut hac vitiet nostras insania mentes
Impietas homines non decet ista pios
Te proq carnificem ac qui Christe veretur ut hostem
Errat & hoc ingens nominis crimine habet
Cedere te nihil hac scimus pietate parenti
Te facilem mundum non inuat esse Deum
Iure sed humanis quibus irascaris ausis
Iussu sancta Dei nos violasse dolens
Attamen esse tu nos gentem morte redemptam
Nec frustra passum te meminisse decet
Illorum ergo memor populi miserere tui quem
Hec tunc regni credimus esse tui

F I N I S
S

Sicut ab ipso in seculo
Nam hoc est quod dicitur
Fuit deus in seculo
Quod ipse dicitur fuisse
Elementum in seculo



Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





XIX.

18.

Precatio

CHRISTVM REMISSE ECCATORVM,

ta in gratiam & hono
rissimi Viri, Iuris vtriusq; Doctoris
Zimmerman, inclyti Principatus
ni Consiliarij, & amplissimi Ses
us Augustani Syndici, &c.
Domini sui perpetuo
colendi,

t.

ab

Adamo Lamperto
ciue Seruestensi.

*Ornatissimo ac
Clarissimo Viro
d. Iacobo à Gen
consul: Seruista
no, Adfiri suo
charissimo
dcti autor*

L I P S I Æ

Iohannes Rhamba excudebat

M. D. LXXV

